



## **De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis**

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||  
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibus, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm  
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm || Martii Et Aprilis

**Surius, Laurentius**

**Coloniae Agrippinae, 1576-**

**VD16 S 10259**

De S. Theodosia virgine & martyre.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77384](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77384)



Diaconus enim Augustudunensis, graui oculorum cæcitate turbatus, audiuit hæc, quæ glorificator sanctorum suorum Deus ad sancti tumulum exercebat, dixitque suis: Si eius adirem sepulcrum, aut aliquid de sanctis pignoribus sumerem, aut certè si pallium, quo sancti artus teguntur, mererer attingere, fierem sanus. Cumque hæc & huiusmodi cum suis verba conferret, additit repentè clericus quidam, dicens: Benè, inquit, credis: sed si de eisdem firmare mentem cupis virtutibus, en volumen chartaceum, quod de his habetur scriptum, vt facilius credas ea, quæ ad auditum tuarum aurium peruenerunt: At ille priusquam legi iuberet, inspirante diuinæ pietatis respectu, ait: Credo, quia potens est Deus egregia operari per famulos suos. Et statim posuit volumen super oculos suos. Extemplo autem fugato dolore, disruptaque caligine, vsum videndi recipere meruit à voluminis virtute. Et in tanta claritate positus est, vt ipse proprijs oculis legēs, virtutum gesta cognosceret. Operatur autem hæc vnus atque idem Dominus, qui glorificatur in sanctis suis, vt qui ipsos illustribus miraculis editis efficiat gloriosos. Ipsi gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Liber vitæ  
S. Nicetij  
cæcum il-  
luminat.

DE S. TEODOSIA VIRGINE ET MARTYRE  
CONSTANTISSIMA, AVTHORE EVSEBIO CAESARE.  
*ensi Eccles. Historiæ lib. 8. cap. 17. interprete D. Ioanne Christophorsono.*

2. Aprilis.

Festum re-  
surrectio-  
nis Chri-  
sti.

Immanis-  
simè san-  
cta virgo  
dilatatur.



Am verò cum persecutio esset ad quintum annum conti-  
nuata, secundo die mensis Xanthici, id est, ad quartum Non,  
April. in ipso die Dominico, & in ipso festo Resurrectio-  
nis Saluatoris nostri, Theodosia rursus virgo, Tyri puel-  
la fidelis & modesta, nō annos decem & octo omnino ad-  
huc nata, vinctis quibusdam Cæsareæ, qui regnum Christi  
constanter confitebantur, ante tribunal consistentibus ac-  
cedit, cum benignè salutatura, tum (sicut verisimile est)  
eos obsecratura, vt cum essent apud Dominum, illius re-  
cordarentur. Quo factitato, eam tanquam nefas quoddam  
& impium facinus aggressam, satellites abripiunt, dedu-  
cuntq; ad Præsidentem. Extemplo verò iste quasi mente ca-  
ptus & animi furore maximè efferatus, grauib; & horrendis tormentis latera mam-  
masq; ad interiora vsque ossa dilaniat: quam adhuc agrè spirantem illam quidem, hi-  
lari tamen vultu & lato omnia cruciamenta perferentem, in rapidos maris fluctus  
proijci iubet. Deindè ab illa ad reliquos Christi cōfessores digressus, omnes ad æris me-  
talla, quæ erant in Phæno Palæstinæ, condemnat.

BVLLA CANONIZATIONIS S. FRANCISCI  
DE PAVLA, ORDINIS FRATRVM MINORVM

*Institutoris: in qua etiam eius vita describitur.*

Is est Leo  
x.  
Aprilis 2.  
Patriarchæ

Prophetæ.

Apostoli.



Eo Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei me-  
moriæ, Excelsus Dominus militantem Ecclesiam precio-  
sorum lapidum viuorum, ipsi summo angulari lapidi Chri-  
sto Iesu vnitorum, ornatissima varietate decoratam, stru-  
ctura mirabili fundare disposuit. Hinc processere beati pa-  
triarchæ, qui fide præclari, sanctorum etiã angelorum su-  
ceptores effecti, facie ad faciem Deum videre meruerunt.  
Hos secuti sunt sancti prophetæ, quibus ostendit Deus  
secreta sua, vt ventura, quasi præsentia, spiritu sancto illu-  
minati, agnoscere atque enunciare potuerint. Postquam  
autem venit plenitudo temporis, & nos in assumpta sibi  
humanitate oriens ex alto visitare, nostraque salutis mysteria (iuxta quod prædixerant  
prophetæ) adimplere dignatus est, constituti fuere beati apostoli, diuinæ legis promul-  
gatores & prædicatores, qui per orbem vniuersum genus humanum (quod sub diabo-  
licæ potestatis iugo tenebatur) ad salutem excitantes, Dei verbum in omnibus terræ  
fini.